Crac. Stud. Univ. Jagell.
Promotiones Philos. Ord.
1686. die 6 Aprilis.

Napolski Thomas franc: Manubiae triumphales ab 21. VV. DD. primae laureae Candidatis ex morte ignorantiae decerptae.

MANUBIÆ TRIUMPHALES,

AB

Vndecim Venerabilibus Dominis,

Primæ Laureæ Candidatis,

Ex hoste Ignorantiæ

DECERPTÆ:

Et dum

Per Clarissimum & Excellentissimum Dominum,

D. M. GASPARUM CIEKANOWSKI,

Philosophiæ Doctorem, Collegam Minorem, Astronomiæ Ordinarium Professorem;

In Perausgusta Iagellonis Aula,

Coram Nobilissima Illustrium Hospitum Corona,

ARTIUM & PHILOSOPHIÆ BACCALAUREI,

Ritu Solenni

RENUNTIARENTUR;

Amoris & gratulationis ergò

A

THOMA FRANCISCO NAPOLSKI,

Ejusdem Laureæ Candidato,

Luci Publicæ

PRÆSENTATÆ.

Anno Domini 1686. *Die* 6. *Aprilis.*

CRACOVIÆ, Ex Officina Francisci Cezary, S. R. M. Illustr. ac Rńdiss. Dńi. Episc. Crac. Ducis Seueriæ, Necnon Scholarum Nouoduorscianarum Typogr.

IN STEMMA
Illuſtriſsimi & Reuerendiſsimi Domini
LVBOMIRSKI.



PVlchrior Eridani rutilans SRENIAWA fluentis,
Dulciùs aurifluo Stemma celebre Tago.
Flumina non refluunt ex hoc; Virtutis honores
Aureus hûc potius nimbus ab axe trahit.
Gange fluit proprio, LVBOMIRSCIA fama per orbem
Gemmiferis meruit cum-radiare-Mitris.
Hoc lauat in fluuio dextras cum Caſtore Pollux,
Ad cujus ripas Laurea Noſtra viret.

STANISLAVS MICHAEL SZEMBEK,
In Alma Vniuer: Crac: Dialecticæ
& Eloquentiæ Auditor.

Illustrissimo & Reuerendissimo Domino,

D. JOSEPHO

Comiti in Wisnicz, & Iaroslaw

LUBOMIRSKI,

S.R.I. PRINCIPI,

Abbatiæ Tynecensis Administratori ELECTO, &c. &c.

Domino, & Patrono Amplissimo.

TRiumphum honoris Tui, quem in Orbis facie ducis, per tot animorum suffragia Victor; auget quoq; Manubijs laureatis, dum sacra Vestigia Tua coronat, nunquam non dilecta virtuti Sapientia. Illustrissime & Reuerendissime Domine. *Celsitudo gloriæ Tuæ, non expectauit annos, vt per incrementa surgeret; vulgare id rata, quòd serpit potiùs, quàm assurgit; sed matura virtuti, facta est maturior honori; vt sciret hic magnarum mentium pedissequus, nunquam* LVBOMIRSCIIS *teneras esse, quibus se prosternat, etiam tenerrimas plantas. Hoc demum est momentò vincere, quod alijs secula negant: naturæ legibus absolui, dum cælo Gratiæ vrgent: arcana mentium in triumphum ducere, quod solis intelligentijs concessum; quarum Tu vtiq; portio es, ex pulcherrimo nuper votorum pro Te consensu, dum motrix omnium intelligentia triumphas. Quidni igitur opus hoc, quod sola, quæ ex Ore Altissimi prodijt, disponitq; omnia suauiter, Æterna perfecit Sapientia; humanæ quoq; sapientiæ trophæa laureata coronent? quidni caput hoc Tuum Superis adeò tenerè, quia à teneris dilectum, gratiarum cælestium gemmea grando inundet? vbi* SRENIAVA *guttas vertit in gemmas; vt si in applausus Tuos suadæ hominum non exundent, gemmis flumina loquantur. His certè,* Illustrissime & Reuerendissime Domine *dicendus es, cùm dici aliter nequeas; vt potè quem inter selectissimas hominum gemmas, Celsissimis Natalibus protulit Sanguis* LVBOMIRSCIVS; *Sarmatiæne dicam, an Orbis Christiani Vnio pretiosissimus; non ex Erythræi maris profundo, sed ex crystallinis* SRENIAWÆ *fluentis ad Augustissimas Monarcharum Europæ delicias, Angelicis veluti, quia Vaticanis manibus translatus. Parere illi Heroas, & gemmas*

 propri-

proprium; ex quibus vt qualibet tota Perside carior sit, sufficit LVBOMIRSCIVM *nasci. Hic depositum virtutis; hic Iouis Capitolini cella; in qua non licet, nisi majus homine nomen, auro, gemmisq; signari; quibus Pantheon* LVBOMIRSCIVM *ad stuporem coruscat; nimirum tota in vno sanguine, Heroum Os, humerosq; DEO similium, & Epitome, & Maiestas. Inde Tibi augusta mentis, & sanguinis purpura; inde Celsissimis Maioribus Tuis digna indoles; inde in pectore adhuc teneriori iam virtutum Senatus; eminensq; ille, & dilectus Superis genius; ex quo tempestiuè, iuxta genium cælestem, sapere didicisti; quando spernis, quæ terram sapiunt; DEO adhæsisse, sortis beatissimæ fastigium putas. Factus es igitur, verè Filius accrescens* IOSEPH DEOq; *carissimus; qui in veste polymita, pulcherrimis nimirum virtutum floribus distincta, delicias in Te suas & amorem testatus; etiam Natiuæ Principi Tuæ Mitræ, nouas superaddidit, sed de cælo coronas: cum Te Celsissimo Principi* HIERONIMO LVBOMIRSCIO, *Mareschalco Curiæ Regni, Orbis Christiani Gedeoni fortissimo Patruo Tuo, successorem in Abbatiæ Tynecensis Administratione, vnitis animorum suffragijs eligi fecit. Triumphale id Tibi, quòd tanto pro fide Orthodoxa Triumphatori succedas, quòd ætatem virtute, & honore superes; quòd Paterna* LVBOMIRSCIORVM, *Materna* SAPIEHARVM, *summa in Orbe Polono, & Lithuano decora, tanto de Te Regum iudicio satis augustus, quia sacrorum à teneris Princeps; vel in Te solo augustiora efficias. Corona hæc, non humanis, sed Diuorum manibus nexa, quæ supra caput Tuum descendit; non vnam tantùm frontis Tuæ niueæ sed totam Celsissimæ Domûs maiestatem coronat: quâ Te dignum censuit, cor & oraculum Orbis Christiani, admiratio seculorum, & æstimationis de Te Crysis maxima Serenissimus, quô contra Orientem non surrexit maior* IOANNES; *qui Orbi in Te ostendit, quantus deinceps futurus sis; cùm Te flos hic, & nondum euoluta purpuræ Tuæ rosa, in oculis tam purpurati solis iam fecerit tantum. Triumphum ergo honoris Tui, cùm vota omnium, & applausus sequuntur; Musæ quoq; & Gratiæ triumphalibus hisce Manubiis, sacra Tibi per me vestigia sternunt, maximo literatorum solatio; quòd Palladis Iagellonicæ, in cuius sinu animum sapientiâ excolis, triumphet in Te gloria, & felicitas. Expectant Te profectò Celsissima omnia; quando coronatum tanto honore, gradum facere didicisti; vt non consistas, nisi quo consistere decet, semper* LVBOMIRSCIOS *in summo. Huc Te animorum triumphi, huc vota omnium, & panegyres ducunt; quò proueneris, DEO auspice fortunatus, satusq; habiturus gloriæ; si longæuus ad Aras rebus Diuinis assistas, gemmis & Tyaris coronatus.*

Quod precatur

Illustrissimæ & Rndissimæ Dominationi

Cliens, & Seruus

THOMAS FRANCISCVS NAPOLSKI,

Primæ Laureæ Candidatus.

MANVBIÆ TRIVMPHALES:

DIVO IOANNI CANTIO,

Regni Poloniæ, & Almæ Vniuersitatis Cracouiensis Diuinissimo Tutelari ac

PATRONO;

Author offert.

Fulgentem Palladis Galeam; cum qua ex Cerebro Iouis, hostem sapientiæ profligatura, armata prodijt:

CVM LEMMATE,

Exonerans protegit.

TAurico frustra metuendus ense,
Viribus multùm Geticis superbus,
Sarmatas terrens, feritate plenus,
Turca minantur:

Laudibus cesset Galeam tumentem,
Vsquè sub cælos nimiùm referre,
Desinat fastum super astra Teuto
Tollere dirus.

Adstitit nobis Galeatus Hector,
CANTIVS celso veniens Olympo;
Nostra quem donis veneratur amplis
Cratia Pallas.

Ille pro cunctis Lechiæ cateruis,
Supplicabundis precibus Tonantem
Postulat; nè nos feriant ruinæ
Bistonis atræ:

Protegit, gentis, Proceres Polonæ,
TERTIVM nec non Lechiæ IOANNEM,
Protegit dulcem Patriam fauore
CANTIVS omni.

Tu Polonorum decus atq; splendor,
DIVE, (cùi proni damus hæc trophæa
Hostis ignaui, superantis almam
Palladis artem,)

Omnibus nobis Coryphæus esto:
Dux in arcanis validus: patentem
Ianuam doctæ resera Mineruæ,
Corde precamur:

Nè potens hostis queat eruditas
Palladis nostræ superare vires,
Aût ad absurdum trahat atq; ducat
Eius Athletas.

Laureæ primæ benedic virenti,
Et triumphali faueas Coronæ,
Fac trophæorum Tibi grata cedant
Munera nostra.

Inter Alcidas gladio potentes;
Hectores inter fugientis æui,
O Potens Hector Pater Alme CANTI
Gemma Lechæa:

Ecce fulgentem Galeam Mineruæ,
Nos verecundi Tuimet Clientes,
Ad sacros Tumbæ Cineres litamus:
Annue Cælo.

Clarissi-

Clarissimis Excellentissimis & Adm: Rńdis Dominis

DD. EXAMINATORIBVS:

Clarissimo Excellentissimo, & Adm: Reuerendo Domino,

D.M. MATHIÆ BROCKI,

Collegæ Majori, Regio Professori, Canonico S. ANNÆ, ac interea Philosophicæ Facultatis DECANO.

Clarissimo Excellentissimo & Adm: Rńdo Domino,

D.M. IOANNI BALICKI,

Collegæ Majori, Regio & Cursûs Vladislauiani Professori, Canonico Sanctæ ANNÆ.

Clarissimo Excellentissimo, & Adm: Reuerendo Domino,

D. M. ALBERTO ZOŁWINSKI,

Philosophiæ Doctori & Professori, Collegæ Minori, Ecclesiæ Collegiatæ SS. Omnium Canonico.

In vim debitæ gratitudinis.

Cythara Apollinis; quâ in Helicone Musas contra hostes sapientiæ animat, vt robustioribus animis contra illum irruant.

CVM LEMMATE.

Dulciùs vincunt.

QVòd si bicorni Sceptra tenens iugo,
Apollo Musis præfuit inclytis;
Quem docta Parnassi virentis
Pieridûm comitando turba,
Quocunque gratos iuerit in locos,
Semper canendo dulcisonâ cheli,
Suum sequebatur Magistrum,
Quam docuit resonare plectro:
Cûi Musa quæuis reddere debuit
Censum perennem, pro grauibus, sui
Laboris, impensis ab ore;
Dum cytharas Heliconis altas,

Enthusiasmo pectoris arduo
(Mulcens sonoro carmine barbita)
Multùm fatigauit; Lyramquè
Vocibus attenuâsse fertur.
Ast hæc vetustis fabula seculis
Fuisse quondam dicitur; in quibus
Iucunda, dulci cum triumpho
Phœbigenûm cecinit caterua.
Sed vos secundis rebus Apollines
Nobis præestis veriùs in iugo
Celso Mineruæ: docta nempe
Lumina terrigenis corusca;
Vos in Licæis Craciadûm Sacris
Splendetis amplo lumine: vos datis
Orbi Polonorum coruscas
Palladis, ingeniĳq; flammas.
Te Musa nobis docta dedit priùs
Togate BROCKI; qui superemines,
Inter triumphales Cathedras
Lechiadûm, Iagelonis Aulæ:
Tu lumen Orbis Palladĳ micans,
Tu gemma nostri splendida seculi;
In quo perennas purpuratus,
Ac regimen regis eruditum:
Et si tacerem futilibus labris
Chordisq; surdis; ipsa tamet canet
Te Musa seclis euiternis
Ore Tuo cumulata docto:
Augusta magni culmina Pindari,
Æquas amœnus Laurigero pede,
Vatumq; Parnaßiquè montes
Ingenio superas sagaci:
Et præter istas Laudis adoreas,
Te suada grati condecorat Tui
Oris venusta; Tullianam
Quòd referas grauitate suadam.
Perenne Musis Nomen in Atticis
Tuum BALICKI metra canent diu;
Nostram quòd Indolem tenacem
Ad iuga promoueas Mineruæ:
Te summa virtus, Te probitas vehit,
Ad alta doctæ culmina Palladis,
Suum IOANNEM gratiosa
Ingenio beat erudito

Minerua

Minerua Craci: dat tibi Nobiles
Stagyra dotes; quem Tua ſplendida
Exedra Vladislauiana
Tramite proueniens bienni,
Ex ore fundit pectore ſedulo
Lechi Iuuentæ; dent Tibi Cælites,
Æterna pro ſudore frontis
Præmia de manibus Tonantis.
Inter celebres orbe Panegyres,
Quascunq; doctis Muſa dedit viris
Præclare ZOŁWINSKI, *refulges*
Inter eas, pietate plenus:
Auguſta virtus nam Tua pectoris,
Donis Sacrorum fulget eburneis,
Doteſq; pandit ſub Trione
Craciaco Iuuenum cohorti:
Intaminatâ mente Stagyritam,
Et Tulliani fluminis alueos,
Ex ore mittis eloquenti,
Nectareos redolens odores;
Quibus fluentis ore natantibus,
Dulciq; ſucco melliflui vadi,
Noſtras Camænas irrigando,
Tempore perpetuo virebis.
Ergo ſecundi viuite Neſtores,
Æterna terris ducite ſecula,
Qui nos creâſtis Laureatos,
Munere Palladio decoros:
Hæc veſtra ſeclis fama perennibus,
Diu manebit: Iuppiter annuet
Votis ſupremus; qui rependet
Debita pro meritis laborum.

I. V.D. IOANNI LAVRENTIO FRYCKIEWIC.

Canonico Regulari, SS. Sepulchri Domini Hieroſolymitani, Conuentûs Miechouienſis Profeſſo.

Ægis Sacra Palladis, quam in acie, contra inimicos Crucis Chriſti, acquiſiuit, ac per dexteritatem eruditis ſuis manibus adſciuit.

CVM LEMMATE.
Hâc Tutior aduersùs hostes ibit Athleta.

DVm Te Pieridûm sacrata corona recepit,
Palladiana cohors cæpit gaudere triumphans;
Cûi nos debemus gratas impendere curas,
Cûi & perpetuos tribuemus laudis honores:
Nec non Relligio cordis solatia sumpsit,
Ingenuo suffulta viro; quem Cratia Pallas,
Laurigerâ mercede beat, viridiquè corona
Condecorat, dignum Magnæ virtutis Athletam;
Pectora cûi Tua consecras & viscera cordis;
Quando domum sacram summâ pietate celebrem,
Corde colis pronus, Diuos habitando Penates.
Te mundo celebrem signat Crux sacra futurum,
Sanguineo forsan Musarum parta labore;
Quâ gaudet sacrata domus, pro Stemmate vestra:
Ex nunc illa Tibi sacros demonstrat honores;
Ad quos ingenij concurrit præuia Musa,
Prudenti comitata sopho: cultisima suada
Ore fluens grato: tandem quoquè prodroma virtus
Inclyte FRYCKIEWIC miles fortissime Christi,
In Diua posthac superûm Te sede locabit:
Quod sacrata Tibi promittit Palladis Ægis,
Noxia tela premens; intus quâ tutior ibis
Hostes aduersùs, cunctos sine sanguine vincens.

III. V.D. IOANNI RYKACZOWSKI,

Hasta Mineruæ, quâ hostem Ignorantiæ in Campo Sapientiæ profligauit.

CVM LEMMATE.
Hæc tangit & angit.

MVstea Pegasidûm, cum voce Minerua triumphat,
Applaudit metris Pallas amica Tibi,
O RYKACZOWSKI! gaudent fastigia vatum,
Culmina dum Pindi scandere celsa cupis:
Te Comitem sociumq; suum pharetratus Apollo
Inuitat: Cytharam quatenus ipse canas.
Te sacra Phæbigenûm Laurus decorare vocauit,
In Te sorte bona Laurea Prima cadit.

Cessabo

Cessabo veterum monumenta referre virorum,
Nec laudes docti temporis ore canam;
Tu noua laus sequeris grato resonanda Poëtæ,
Qui cadis in calamum dulce canende meum.
Ex Te Musa decus capiat Iagelona perenne,
Possideat vires docte stagyra Tuas;
Cuius in arcanis euoluere dogmata tendis,
Committens menti grande laboris opus.
Hic vigor eximiæ mentis reuirescat in æuum
Dulce Tuum; toto frondeat orbe decus.
Ingenij dotes defendat & Hasta Mineruæ,
Et faciat cultum Musa virere Tuum.
Hasta Tibi collata ferox disperget acerbos
Hostes, & grauiter tanget & anget eos.

IV. V.D. VALENTINO MALICKI,

Armata manus Mineruæ, cum cuius fortitudine suam dexteritatem & fortitudinem supra Capita ignauorum exercuit,

CVM LEMMATE.

Et Marte & Arte.

OCyùs ad Lechicæ curris Penetralia Musæ,
Duris rebus amabilis,
Progenies dilecta Sophi, dilecta Mineruæ,
Immortale decus Stoæ:
Surgis ad excelsos Apices virtutis, & augem
Rebus scandis in arduis,
Doctas Cecropidûm Musas, Lechiæq; Camænas,
Æquas Pegaseo pede:
Vndas Pieridûm suaui dulcore fluentes,
In vatum bibis alueo:
Affundunt Tibimet pretiosum dogmata nectar,
Fundunt Pegasides vadum:
Dulcibus immergunt se se Tua labra fluentis,
Parnassum comitantia;
In quo florigerâ Lauru Te Musa coronat,
Ad cætum referens suum.
Ergò possideas culmen Generose MALICKI,
In quo Laurea Te locat.

Hæc manus armipotens telis armata Mineruæ,
Dignum monstrat honoribus:
Marte vales etenim, & cultâ præcellis in arte:
Ergò viue diu precor.

V. V.D. THOMÆ SOWINSKI,

Intensus Apollinis Arcus, quô in bicorni iugo gloriatur.

CVM LEMMATE.

Rudes ferire tetendit.

NOn sic ad ictum ferreas parat dirus
Brontes sagittas; quas suo Ioui mittit,
Sæuos Gigantes, viribus polum crudis
Celsum petentes obuios, triumphat; dum
Vt conterantur feruidas manus armat.
Non hos Getarum subdolis habent arcus
Gentes pharetris; sarmatas quibus pungunt,
Inter Lechorum regna, Tartaræ gentes.
Non his Apollo gaudet arcubus non his,
Scito SOWINSKI Pallados Nepos grate:
Intensus arcus viribus suis sæpè,
Inter minacem rumpitur viri dextram:
Ast VATIS arcus pectorum leuans curas,
Rumpi nec audet, nec ruit suâ mole;
Sed tangit imò pectoris vices duras:
Tangit Tuarum virium grauem metam;
Ad quam celebris te diu vocat Musa:
Nec non stagyræ ferreus quidem callis,
Sed crede posthac melleum dabit succum,
Et Tulliani Fluminis feret nectar
Dulcore plenum, quod tuæ subest menti:
Fulges celebris splendidâ Viri luce,
Clarissimi doctissimiq; SOWINSKI,
Qui Te Camænis altiùs locat doctis,
Summos in auges promouens pio sumptu.
Arcum tetendit splendido grauem neruo
Apollo doctus; quatenus canas metrum
Vt Laureatus candidum decus sumas.

VI.

VI. V.D. IOANNI GRYMECKI,

Velox ala Equi Pegasei; quâ elatus in bicipiti Apollinis Iugo, citissimis passibus inuidos prudentiæ hostes aggreditur.

CVM LEMMATE.

Velox sine mora vincit.

INfelix operis Dedalus ardui,
Tentans fatidicis ausibus Icari,
Ex altis nimiùm fortè meatibus,
Pertransire vadum Cærulei ætheris,
Demersâ in Sobole sub pelago gemit.
GRYMECKI subitò Pegaseis vola
Alis, non metuens flumina Tullij;
Ad cuius fluuios labere prospero
Passu quantoperè: quas ideò Tibi
Insignis sonipes Pegaseus dedit,
Fontem Pierium Laurigero pede
Feruentem referans in petreo iugo;
Vt promptus volites ad iuga Palladis,
Cyrrhæumquè bibas flumen amabile;
Quò potus valeas carmen Apollinis,
A Musis hilaro fundere barbito.
Splendes laude boni, Magnifici viri
PRZEWOSKI celebris; cuius ad æthera
Ibit fama citis passibus inclyta:
Nam prudens regimen Palladium tenet,
Et clauam vigilem Gymnasij regit,
Musæ RECTOR amans; & sacra CANTII
Patroni Lechiæ Lypsana promouet.
Donat, Tequè beat munificâ manu;
Vt suprema queas dignus honoribus
Ex Musæ gradibus scandere culmina.

VII. V.D. IOANNI LVBONSKI,

Cornu Amalthæ floribus & Laureis repletum; quibus Apollo suos Athletas in Parnasso coronat,

CVM LEMMATE.

His fragrat docta propago.

QVisquis referret Cecropiæ viros,
Aût magna doctæ lumina Græciæ,
Laudanda terris, seculisq;
Omnigenis cumulata donis.
Frustra Camænas Argolicas canet:
Necesse non est vt memoret decus
Metro virorum pristinorum,
Aût reuocet calamo celebres.
Sunt in Lycæis docta Cracouiæ,
Iucunda terris Lumina Lechicis:
Nec indigent Phœbo remoto,
Ipsa sibi meliùs coruscant;
Sub astra quorum splendida Tu simul
Venis LVBONSKI; sub quibus abditos
Musæ recessus, ac opaca
Perspicias documenta clarè.
Eris Lechæi splendor Athænei,
Tibi fauebit Laurea Palladis,
Et rebus ornabit secundis,
Ingenio celebris Minerua.
Præclara virtus, quâ superemines,
Sacerq; puri pectoris Entheus,
Honore donabit perenni,
Serta Tibi pretiosa nectens.
Flores Amalthæ, cornua diuitis,
Famæ Tuæmet munificos dabunt,
Queas vt in seclum virere,
Florigeras referens Coronas.

VIII. V.D. IOANNI STANISLAO TARCZEWSKI.

Vexillum Mineruæ: sub quo acuentes suum ingenium Iuuenes Palladii existunt:

CVM LEMMATE:

In hoc trophæo vinces.

ALexander in Inclyto
Vexillo suimet jussit fabricare columnas,
Nimirum Herculeis finibus horridas.

Sic

Sic Nomen graue proprio,
Inſcripſit Tuimet vexillo, docta Minerua
TARCZEWSKI: vigili cûi ſtudio faues;
Et (tanquam regionibus
Nomina Romani vexillo picta remotis
Monſtrabant ſuamet:) mittit in vltimam
Thulen Muſa Tuum graue
Nomen, ſauromatis famam celebrando perennem;
Quam ſtipant pariter præmia Palladis,
Doctis parta laboribus.
Verus Eques Muſæ, gratus milesquè Mineruæ,
Tam virtute bonus, quàm ſtudio grauis;
In Te dexteritas patet.
Non gladio pugnas, ſed ea virtute Mucronis,
Quam linguæ celebris Muſá dedit Tuæ.
Cultos mittis aculeos
Eloquij, loquerisquè roſas ex ore diſerto.
Iam nunc auricomas accipe laureas,
Contextas ab Apolline.
Victor in hoc ſigno genuinæ Palladis eſto,
Certans armipotens enſe ſtagyritæ.

IX. V.D. ADALBERTO DOMINICO KRVSZEWSKI,

Pharetra Apollinis cum ſagittis; quibus non ſolùm Pitonem in Theſſalia interfecit, ſed ijſdem inimicas Palladis animas, transfixit.

CVM LEMMATE.

Ferox contra ardua tela.

NOn iactet pharetram dextera Cyprij;
Quá terris nimiùm terribilis manet,
Bellans contra hominum mollia corpora,
Vincens magnanimos viros;
Quæ dantem fidibus iura ſonantibus,
Mulcentem Cytharis dulcia pectora,
Nimirum celebrem vicit Apollinem,
Figens ſpicula corpori:

Vt posset nemoris Thessalici Deam,
Diuûm perpetuo tempore virginem,
Electam Penei vincere Daphnidem,
Ex qua Laurus erat sacra.
Tunc hæc efficiunt tela Paphos Dei,
Sed non armipotens arcus Apollinis:
Hic imò socios colligit inclytos,
Congaudetq; sodalibus:
Quos ad metra soni dulcia concitat,
Omnes ad pharetram cordis eburnei
Pro telis animos conglobat arduos,
Vt pugnent rationibus.
Sentis hanc pharetram Candide KRVSZEWI,
In cuius medio Palladis inclytæ
Argumenta latent culta Stagyritæ,
Nec non dogmata præuia:
Nam citra celebres laudis adoreas,
Præter metra Tui dulcia pectoris;
Quorum muneribus Te sacra reddidit
Plenum Pallas amabilis.
Ex Te mellifluo flumine Tullius
Oris nectarei candidus effluit.
Argumenta Sophi tendis in ardua
Hosti Palladio ferox.

X. V.D. FRANCISCO PODOLECKI,

Serpens prudentiæ, in cunis Herculeis, significans per laborem, posse acquiri doctrinam & prudentiam.

CVM LEMMATE.

Hæc industria docebit.

MIserat quondam furibunda Iuno
Herculi, cunis puero cubanti
Fraude serpentem; queat vt tenellum
Ore voràsse.
Sed puer fortis Tygridum nutritus
Lacte, robustis manibus repentem
Belluam elisit, tumidiq; fauces,
Expulit Anguis.

Hic

Hic Tuus ſerpens datus à Minerua,
O PODOLECKI Comes eruditæ
Palladis, monſtrat ſapientis oris
Dogmata docta.
Symbolum docti eſt memoratus Anguis,
Virga Mercurî ſacra laureati,
Grande ſerpentis tenuit Monile,
Hôc decorata.
Eſt Tibi virtus ſapiensq; Muſa:
Mente prudenti dominatur Anguis;
Qui docet cultos homines in orbe
Quomodo viuant.
Sic Tuam mentem facias ſagacem,
Vt rudes doctæ Iuuenes Mineruæ,
A Tuo diſcant genio erudito,
Nôſſe Camænas.
Hoc Tibi ſpondet Iagelona Pallas,
Conferens pulchram Tibimet Coronam,
Lauream doctæ tribuens Mineruæ
Quâ caput ornat.

XI. V. D. MATHIÆ RATVŁOWSKI,

Herculis Claua; quâ Pallas ſub ſuam poteſtatem ſubactâ, Monſtra Jgnorantiæ in publico eruditi mundi theatro profligauit.

CVM LEMMATE.

Non ſolùm Lernea monſtra.

HVcuſq; lætas Herculis ferox claua,
Aures fatigat, laudibus ſuis plena,
Vatum digna Panegyri.
Quòd hâc ſeuerus Lernei furor monſtri,
Ex orbe pulſus, dexterâ graui tactus,
Alcidæ domitus manu.
O RATVŁOWSKI cernito vices clauæ,
Mundo potentes; Herculis viri magni;
Quæ collata Tibi vide.
Hanc non Metonæ, protulit nemus, clauam,
Nec Tanagrenſis cultior dedit ſylua,
Nec lucus tulit Hercinæ:

Ast ex profundo Palladis Tuæ limbo,
Hanc Musa clauam grandibus viris aptam,
Magnis rebus idoneam,
Donauit; vt Tu Regios geras mores,
Clauâq; forti splendidam regas mentem,
Vt sit digna Curulibus.
Hâc subiugabis nescias manus hostis,
Nec non stagyram fortiter grauem vinces,
Vt menti faueat tuæ.
Sis Tulliani victor Eloquî felix,
Ignaua mentis candidæ feri monstra,
Doctam suscipe Lauream.
Non monstra solum Lerneæ ferit syluæ
Hæc Claua; verùm Palladis Tuæ doctæ,
Hostes concutit inuidos.

II. V. D. FRANCISCO THOMÆ NAPOLSKI,

Primæ Laureæ Candidato Authori operis.

In signum mutui affectûs & gratulatorij applausûs, Bellerophontis lanceam, quâ Chymeræ monstrum occidit.

CVM LEMMATE.

Penes Te victoria maior

V.D. FRANCISCVS PODOLECKI,

Eiusdem Laureæ Candidatus *Offert.*

AVdax Bellerophon non timet aggredi
Monstrum terribile, est conscia mens cui
Virtutis solidæ labe rubescere,
Expers & maculam pati:
Tendit per medias ire acies hic, &
Scandit per, rapidæ, sæua, Chymeræ, Equus
Ora eius; tamen haud vincitur ille, sed
Vincit, bellua dum cadit.
Illi nulla grauis mors venit ex eo
Congressu; spolium bellua nam fuit:
Laus quòd sustulerit monstrificum scelus,
Palmas ex acie ferens.

Tali

Tali cinctus ades præsidio, comes
NAPOLSKI Cracio gratus Apollini;
Alter Bellerophon monstra quod artium
Vincas pectore nobili.
Tu nobis Cytharis dulcè sonantibus
Applausum tribuis: Tu Capitolium
Phæbi cum spolijs, dum reseras; patent
Nobis munera Palladis.
Ergo nos, animi plausibus, hoc Tibi
Acceptum ferimus, vatibus Æmule;
Vt fias Patriæ gloria splendida
Musarumq; virens decus.
Cedat prima Tibi Laurea Palladis:
Sit merces, sit honos, sint Tibi præmia:
Pectus continuet Pierius calor,
Scandas culmina Pindari.



SVB FELICISSIMIS AVSPICIIS,

Magnifici Perillustris & Admodùm Reuerendi Domini,

D. M. FRANCISCI PRZEWOSKI,

Sacræ TH: Doctoris & Professoris, Collegæ Maioris, Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNÆ Decani, Scholastici Curzelouiensis, Curati Zielonecensis, Procuratoris Canonizationis B. IOANNIS CANTII, Contubernij Hierosolymitani Prouisoris, Almæ Vniuersitatis Cracouiensis Generalis & Vigilantissimi

RECTORIS.